Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



muros suos et reges eorum ministrabunt tibi In indignatione enim mea
percussi te et in reconciliatione mea miseratus sum tui / et aperient porte tue
iugiter die ac nocte et non claudentur ut afferatur ad te fortitudo gentium
et reges earum adducantur Gens enim et regnum quod non servierit tibi
peribit / et gentes solitudine vastabuntur Gloria Libani ad te ve-
niet abies et buxus et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis
mee et locum pedum meorum glorificabo Et venient ad te curvi filii
eorum qui humiliaverunt te et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui
detrahebant tibi Et vocabunt te civitatem domini sion sancti israhel
pro eo quod fuisti derelicta et odio habita et non erat qui transiret Ponam te
in superbiam seculorum gaudium in generatione et generationem Et sugies lac gentium
et mamilla regum lactaberis Et scies quia ego dominus saluans te et re-
emptor tuus fortis iacob Pro ere afferam aurum et pro ferro afferam
argentum / et pro lignis es et pro lapidibus ferrum / et ponam visitatorem
tuam pacem et prepositos tuos iustitiam Non audietur ultra iniquitas in terra
tua vastitas et contritio in finibus tuis / Et occupabit salutem muros
tuos et portas tuas laudationem Non erit tibi amplius sol ad lucendum per die
nt splendor lune illuminabit te sed erit tibi dominus in lucem sempiternam
et deus tuus in gloriam tuam Non occidet ultra sol tuus et luna tua
non minuetur quia dominus erit in lucem sempiternam et complebunt dies
luctus tui / Populus autem tuus omnes iusti in perpetuum hereditabunt terram
germen plantationis mee opus manuum mee ad glorificandum minimus
erit in mille et parvulus in gente fortissima Ego dominus in tempore eius
subito faciam istud Sequitur capitulum lxi

LXI

Spiritus domini super me eo quod unxerit me ad annunciandum mansuetis
misit me medicare contritos corde et predicare captivis indulgentiam
et clausis apertionem Vt predicarem annum placabilem domino et diem
ultionis deo nostro Vt consolarer omnes lugentes Vt ponerem lu-
gentibus sion et darem eis coronam pro cinere oleum gaudii pro luctu
pallium laudis pro spiritu merroris / et vocabuntur in ea fortes iustitie
plantatio domini ad glorificandum Et edificabunt deserta a seculo et ru-
inas antiquas erigent et instaurabunt civitates desertas et dissipatas
in generatione et generationem Et stabunt alieni et pascent pecora vestra et
filii pregnorum agricole et vinitores vestri erunt Vos autem sacerdotes domini